BIBLIA. ISIDORUS HISPALENSIS. EUCHERIUS LUGDUNENSIS
Admont, 12. Jh. Seite 162v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ei erimus. quoniam uidebimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc
spem in eo sanctificet se. sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit pecca
tum et iniquitatem facit. et peccatum est iniquitas. Et scitis quoniam
ille apparuit ut peccatum tolleret. et peccatum in eo non est.
omnis qui in eo manet non peccat. et omnis qui peccat non uidit eum.
nec cognouit eum. Filioli. nemo uos seducat. Qui facit iusticiam
iustus est. sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum ex diabolo est.
quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius dei. ut dis
soluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex deo peccatum non facit. quoniam
semen ipsius in eo manet. et non potest peccare. quoniam ex deo natus est.
In hoc manifestati sunt filii dei. et filii diaboli. Omnis qui non est
iustus. non est de deo. et qui non diligit fratrem suum. quoniam hec est annunti
atio quam audistis ab initio ut diligatis alterutrum. non sicut
cain qui ex maligno erat. et occidit fratrem suum. Et propter quid occi
dit eum. Quoniam opera eius maligna erant. fratris autem eius iusta. Nolite
mirari fratres. si odit uos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus
de morte in uitam. quoniam diligimus fratres. Qui non diligit. manet
in morte. Omnis qui odit fratrem suum. homicida est. Et scitis quia
omnis homicida non habet uitam eternam in se manentem. In
hoc cognouimus caritatem dei. quoniam ille pro nobis animam suam posu
it. et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit
substantiam huius mundi. et uidit fratrem suum necessitatem ha
bere. et clauserit uiscera sua ab eo. quomodo caritas dei manet
in eo. Filioli mei. non diligatis uerbo nec lingua. sed opere
et ueritate. In hoc cognoscimus quoniam ex ueritate sumus. et in
conspectu dei suadebimus corda nostra. quoniam si reprehendit nos cor
nostrum. maior est deus corde nostro et nouit omnia. Karissimi. si cor
nostrum non reprehendit nos. fiduciam habemus ad deum. et quicquid pe
tierimus accipiemus ab eo. quoniam mandata eius custodimus. et ea
que sunt placita coram eo facimus. Et hoc est mandatum eius. ut
credamus in nomine filii eius ihesu xpi. et diligamus alterutrum
sicut dedit mandatum nobis. Et qui seruat mandata eius. in
illo manet. et ipse in eo. Et in hoc scimus quoniam manet in no
bis. de spiritu quem dedit nobis. Karissimi. nolite omni spiritui credere.

III
kmi.